



A D

CAROLINÆ CONSTITUTIONIS CRIMINALIS PROOEMIUM.

1. **I**MPERATOR *Sacratissimus Iustinianus Primus* in l. 2. §. 8. C. de veteri jure enucleando, *librum Pandectarum* 47. & 48. in quibus tractatur de delictis privatis, & extraordinariis, nec non publicis criminibus, vocat duos terribiles libros quasi sanguine scriptos, nimirum quod omnem contineant severitatem, pœnarumq; atrocitatem. Ad idem exemplum hanc nostram *Carolinam Constitutionem* possem appellare terribilem. Nam & delicta, criminaq; ipsa, & illorum pœnas abhorret natura, rectaq; ratio, pœnarum verò acerbitas inventa est ad deterrenda maleficia, l. bona fides, 31. in fin, princ. ff. de pos. plura hac de *Rittersh. d. l. in proœm. n. 1. & part. 13. n. 2.*

2. Hic si *Historicum* ex professo agere vellem, *medius fidius* de laudibus *Caroli V. Invictissimi*, & *eternâ marmorâ dignissimi Imperatoris* flueret mihi aqua, & non facile possem ad *Clepsydram* (vide *Guilielm. Budæum* in annotationibus ad *Pandectas*, p. (mihi) 227.) scribere & dicere, sed ad *Amphoram*, ut ait ille. Sed scite ac sapienter, meo iudicio, *Antalcidas Lacedæmonius*, cum *Sophista* quispiam scripti alicujus adornaret recitationem, & *Antalcida* de argumento percunctanti respondisset: *Herculis esse Encomium* Quis, inquit, illum vituperat? *Supervacaneum* nempe existimans in eo laudando sumere operam, quem à nemine in crimen vocatum, uno ore predicarent omnes, & cujus virtutes naviter potius imitari, quàm inutiles & molestâ commendatione in dubium vocare deberent universi. In idem hoc, ut reor, vitium & ego nunc inciderem, si de *Carolo V.* largiori contextu differerem. Remitto Lectorem brevitate ergò ad *Carol. Scriban. in Inst. Polit. Christ. lib. 2. c. 2. p. (mihi) 411. usq; ad pag. 419.* Hier. Elver. in *delitiis apodemis*, & *Epistolarum Ethico-Politicarum* appendice, *Epist. 3. p. 425.* Jul. Pflug. de *Republ. German. p. 37.* itinerarium *N. Chytræi*, p. 539.

B

2

Bernh.